

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 9. Initia ac progressus Caraffæ Cardinalis usque ad suum Pontificatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI. ne futuro Pontifici, aucto adeo Cardi-  
 A.C 1555. naliū numero, plures, quam quatuor  
 intra biennium in eum ordinem adscri-  
 bere liceat.

## §. IX.

*Initia, ac progressus Caraffæ Car-  
 dinalis usque ad suum Pon-  
 tificatum.*

Ciacon.

p. 809.

Pallav. l. 13.

cap. II.

Foglieta in  
vita

Paul. IV.

Joan. Bapt.

Castaldi

in vita

Pauli IV.

Insuperhabitibus omnibus Cæsareæ fa-  
 ctionis machinationibus Joannes  
 Petrus Caraffa vix non octogesi-  
 mum ætatis suæ annum agens in Pa-  
 pam fuit electus. Natus erat is in op-  
 pido S. Angeli de Scala (\*) die vigesima

(\*) Circa Nativitatis locum Continuator  
 cum Panvinio hallucinatur, ut optime post  
 Oldoinum observavit Paggius ad hunc annum  
 num. 2. in suo Breviario Gest. Pontif. Rom.  
 his verbis: *Caraffa natus est anno Christi mil-  
 lesimo quadringentesimo septuagesimo sexto  
 quarto Kalendas Julii, non quidem in oppido  
 S. Angeli de Scala, ut ait Panvinius, neque  
 in Scala vico S. Angelis, ut scripsierunt Ciaco-  
 nius, & Spondanus, sed in oppido Capriliæ,  
 qui vicus est in Hirpinis prope Furcas Caudina-  
 nas Romanorum olim clade celeberrimas, ut ob-  
 servat Oldinus in Additionibus, Patre Joane  
 Antonio Matalonæ Comite, & matre Vittoria*

Cam-

ma octava Junii Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, Patremque habuit Joannem Antonium Matalonæ Comitem, ac Diomedis Caraffæ filium, Matrem vero Victoriam Camponescam ex illustrissima Aquilana familia progenitam. Egerat Joannes nonnisi decimum octavum aetatis annum, cum ab Alexandro VI. ut eidem a cubiculi secretis foret, nominaretur; mortuo autem hoc Pontifice, annos natus viginti octo a Julio II. Theatinus in Neapolis Regno Archiepiscopus salutabatur, ac paulo post ab eodem Papa ad Ferdinandum de Arragonia, qui Neapolitani Regni possessionem acceperat, Legatus decernebatur. Interfuit quoque Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo decimo tertio Lateranensi Concilio, inde vero a Leone X. ad Henricum VIII. Angliæ Regem Sedis Apostolicæ Nuntius, eademque dignitatis prærogativa insignis postmodum in Hispaniam ad Ferdinandum Regem mittebatur, cum vero Carolus V. Ferdinando succederet, ab eodem

N 5

Prin-

Sæcul. XVI.  
A.C 1555.

*Camponesca Aquilana: unde intelligas eum natum illustribus sane parentibus inter Neapolitanos proceres ea, ac nostra aetate facile primis; & explesse propemodum, cum factus est Papa, annum aetatis suæ septuagesimum nonum.*



**Sæcul XVI** Principe Brundusinus Archipræsul se-  
**A.C. 1555.** ligebatur, hoc tamen Archiepiscopatu  
 haud diu potitus illum unacum Thea-  
 tina Ecclesia summo Pontifici cedebat,  
 ut sese Cajetano Theatino associaret,  
 unacum eo novam Clericorum Regu-  
 larium, qui postea Theatini nominaban-  
 tur, Congregationem erecturus, cui  
 etiam ipsemet per tres annos primus  
 præfuit, atque in supremo Ordinis sui  
 regimine Successorem habuit Cajeta-  
 num, qui Sanctorum fastis adscriptus  
 fuit. Rexit altera etiam vice Ordinem  
 suum Caraffa, postquam vero a Paulo  
 III. Pontifice Anno Christi millesimo  
 quingentesimo trigesimo sexto Cardina-  
 lium Collegio fuerat accensitus, ab eo-  
 dem etiam Papa Theatinum Archiepi-  
 scopatum eodem anno vacantem rur-  
 sus acceptare jubebatur, & demum  
 renuntiabatur Neapolitanus Archiepi-  
 scopus, cuius tamen Ecclesiæ posses-  
 sionem accipere Cæsarlis jussu a Pro-Rege  
 prohibitus fuit: Carolus enim sibi fu-  
 spectam habebat singularem benevolen-  
 tiā, qua hujus Regni Proceres Ca-  
 raffam prosequabantur, istaque una  
 ex præcipuis erat rationibus, ob quas  
 Cæfarei tam vehementer ejus electioni  
 oblitati fuerant.

§. X.

